

D. F. G.

32

DISSERTATIO ACADEMICA,
DE
L A P S U
GENERIS HUMANI
IN QUANTUM
EX LUMINE NATURÆ
CONSTAT,

QUAM
*Consensu Ampliss. Facult. Philos. in Regia ad Au-
ram Academia,*

PRÆSIDE
VIRO Maxime Reverendo atque Celeberrimo

**D: NO CAROLO
MESTERTON,**

S. S. Theol. DOCT. Log. & Metaphys. PROFESS.
Reg. & Ord.

Pro GRADU MAGISTERII,

Publico examini submitit

ANDREAS TÖTTERMAN,

NYLANDUS,

In Auditorio Super. die XIX. Julii, A: i MDCCLX,
H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.


SEKERN H E R R J A C O B F O R S M U N

Min Käraste Morbror.

Gra egenkaper åro så hedrande, at de förtjena mycken uppmärke-
samhet. Landt-hushållningen, som nu redan anses för grunden
til de öfrige Hushålls-grenarne, hafven I, Min Morbor, helt
och hållit slagit Eder på, och derigenom kommit til et märckelis-
git wälmående, emedan I dertil gått rätta och gina vågar, utfört tjen-
liga men minst kostamma förläger, och i öfrigt brukat slit och försig-
righet. Dock hafven I ické behållit fruchten af moden för Eder helsz
utan igenom des förfugliga och Christeliga användande, wist Eder vara
en kär människjo-wän. Et wil jag endast ansöra, som hedrar Eder
med allmånt beröm. Då de medel-lösare i landet, för några år, wo-
ro i en åfventyrlig belägenhet, i briss på nödigt lifs-upphålle, så uts-
delten I semt, at kända och okända af dem, allensl emot halswa då
gångbara priset, hela ert förråd, som efter eder lägenhet var nog an-
senligt, och hvilket I, til silt någon gång tillkommande swärighets af-
hjelpande för eder del, i många år sammanspart. Emmedan detta re-
dan tydeligen utmärcker eder character, så anser jag för onödigt at
nämna mera. Men all den ömhett, hvarmed I, Min K. Morbor,
mig städse omfannat, vågar jag ické beskrifwa, emedan den är förra
än jag dertil kunde upfinna nog tjenliga ord. Jag wil helre med stillas-
tigande ödlja såvant i et ouphörl. tackamt sinne, och endast tilfälligt
wis nämna, det jag af Eder blifvit så understödd, at jag kunnat til Academ-
iska hedrens vinnande, astlägga så det öfriga, som ock nu utgifwa detta
enfaldiga arbete. Dersöre har jag ock den öran, at såsom et tacksam-
hets-tekn Eder det samma uppsöra. Jag önskar Eder all wälsignelse!
och framhärdar med mycken högachtning

Min Käraste Morbrors

ödmjuk Tjenare,
ANDERS DÖDELMAN.



D. A.



Ognitio lapsus generis humani ex lumine naturæ petita, articuli instar, Sacrarum Pandectarum divinæ originis demonstrationem ingreditur. Sicut maxime est necessarium, ut demonstratio hæc solida sit & animos plene convincens, ita etiam cognitio illa omnii eget certitudine. Ex iisdem quidem Sacris Pandectis clarissima prostat, hausta tamen ex hoc fonte ad demonstrationem dictam non potest adhiberi. Quin immo alios etiam exhibet usus cognitio hæc philosophica. Atque cum alterum in lucem ederemus specimen Academicum, eam pro modulo virium ex suis principiis deducendam & exponendam nobis suscepimus. Operam igitur hanc qualemcunque his jam pagellis oculis tuis Humaniss. Lect. submittimus, Tuum simul favorem & benignam censuram expetentes.

§. I.

PErfectum est id, quod iis omnibus gaudet prærogativis & attributis, quibus finis, qui eodem est intentus, potest obtineri. Imperfectum vero, cum quid eorumdem aut plane deficit aut tam debile saltem est, ut finis non possit obtineri debitus. Quo plures & præstantiores ab ente quodam obtineri possunt fines, eo est perfectius. Gradus itaque perfectionum dari nemo negabit. Interim tamen aliquod minoris perfectionis in se & sua mensura perfectum immo perfectissimum audire potest, quatenus ad finem debitum obtainendum nihil ei deest. Ens vero absolute perfectum aut per se perfectissimum est id, quo non modo nihil est perfectius & omnia perfecta superat, sed etiam, cui nihil quod maximæ est perfectionis, aut eo nomine insigniri potest, deest, hec est, quod infinitas habet perfectiones. DEum autem ejusmodi esse ens demonstratione hic non eget. Alibi id demonstratum supponimus. Ille itaque propter infinitas perfectiones omnia, quæ produxit, non potuit non in sua mensura perfectissima producere, quod quemque etiam facile concessurum existimaverim. Experientia id satis superque nobis monstrat, dum decenti eam sequimur animi attentione. Si vel minimum terræ reptile intuemur, perfectissimum in ejus corporis structura animadvertisimus artificium. Omnia organa, membra, musculi & nervi in perfectissima sunt symmetria & se-

& secundum naturalem ejus instinctum tam artificiose proportionata, ut ad opera ejus peragenda & finem eo intentum obtinendum, commodissime conspirent. Immo cuncta, quæ ad id pertinent, ita ei sunt data & instructa, ut salvâ ejus essentiâ & perfectione, nihil nec addi nec demi possit; quin potius tanta gaudet perfectione, quantæ unquam capax erat & particeps fieri potuit determinata ejus natura. Atque sic in sua mensura est perfectissimum. Si hac ratione a minoribus ad majora progredimur naturæ monstra, si objecta, quæ in omnibus occurrunt naturæ regnis attento consideramus animo, eandem in his lucentem animadvertemus perfectionem. Si ad cœli systema considerandum pias elevamus cogitationes, quot obveniunt corpora? Certe innumera fere nudis cernuntur oculis & plura detecta sunt ope tuborum. Quis scit quot adhuc existant, quæ non dum sunt visa? Sola via laetitia maximam nobis movet admirationem. Quam pias de DEO cogitationes nobis pariet vastitatis eorum consideratio, quorum plurima terram longe superant. Tot & tanta licet sint, quæ continuo volvuntur motu, in orbita tamen sibi constituta immota manent & ab ea nunquam aberrant. Hem perfecta & admirabilis harmonia in eorum motu! Si autem qualitates horum æque ac terræ nostræ, proprius sensibus perscrutari nobis fuerit concessum, quot & quanta veritatis demonstrandæ testimonia nobis exhiberent hæ stupendæ res. In immenso certe hoc

perfectionum oceano cogitationes suffocantur & verba stupent palato. Omnia sunt perfecta. Et licet contrarium ex aliis atque aliis objectis deduci posse videretur, in nexu tamen cum reliquis & toto systemate considerata evidentissimum perhibebunt testimonium, DEum omnia in sua mensura produxisse perfectissima. Additâ proinde infinitarum ejus perfectionum consideratione, aliter ab eo fieri non potuisse, statuimus. At imperfectiōnem sive malum methaphysicum hic a nobis non negari clarum est.

§. II.

QUando homines secundum naturam eorum & finem, qui iisdem est intentus, consideramus, perfectionem eorum illam, quâ a DEO ut ente perfectissimo donati esse debuerant, videbimus. Finis est manifestatio gloriæ divinæ & ipsorum felicitas. Manifestatione ipsius gloriæ divinæ felices se reddere possunt homines. Illis itaque DEUS tantas, necesse est, dedit perfectiones, quantis ad hoc esset opus. Homines duabus constant partibus, anima & corpore. Anima rursus totidem facultatibus, intellectu & voluntate. Tantam itaque in intellectu accedit lucem, quanta sufficeret ad res illis necessarias & utiles distincte perspiciendas atque Creatorem & res creatas sine errore cognoscendas. Omnia itaque officia erga **DEUM**,

DEUM, se & alios in hoc statu perfecte habuis-
sent sibi perspecta, & bonum a malo non modo
bene discernere, verum media etiam sibi commo-
dissima facile exquirere iisque scienter uti potuis-
sent. Verbo : facultas eorum cognoscitiva tam
perfecta fuisset, quam secundum naturam ejus eam
fieri possibile erat, & cognitio tam sufficiens,
quam ad finem debitum obtainendum esset necessa-
rium. Voluntatem etiam DEUS eā donavit liber-
tate, ut, adhibitā diligentia, affectibus non po-
tuisset constringi & impediri, quo minus bonum
ab intellectu bene cognitum libere potuisset elige-
re & assequi malumque effugere. Omnia sua offi-
cia pie colere, sive legis & voluntatis divinæ jus-
sa sanctissimā exsequi potuissent vitā. Sed hoc i-
pso etiam gloriam divinam promovissent. Atque
eo, quod hac ratione amicitiam cum DEO cole-
rent, summum assecuti fuissent bonum, ex cuius
perpetuā fruitione, perpetua etiam orta esset ani-
mi voluptas, quæ summa jam est hominum feli-
citas. Sospes etiam, necesse est, & salubre illis
largitus est corpus calamitatum & molestiarum
immune ; quia voluptas animi alioquin obtineri
non potuisset. Atque cum immortalitas animæ
extra omnem dubitationis aleam sit posita, aliter
se non posse concludere crediderunt nonnulli,
quam quod Creator perfectissimus benignissimus-
que animæ immortali, immortale etiam corpus
addiderit ; cum aptissime hoc ei congrueret, &
dum partes has essentiales conjunxit, imperfectio-
nem

nem in DEO involvere putarunt, si hanc coniunctionis copulam non ita confirmasset, ut semper indivisiae essent & duratione aequales. Hoc adeo incredibile non videtur rationi. *Conf. Dissertatio Findeisenii eodem rubro ac hac Vittenbergae habita.* In genere autem certissimum est vitam hominum vitiorum immunem in hoc statu clarissimis eluxisse virtutibus, & ipsos etiam ad omnes partes in sua mensura fuisse perfectos, reliquaque animalia multis superasse parasangis.

§. III.

Allatis jam perfectionibus, homines ab initio a Summo Numine esse donatos, nulli dubitamus. Eosdem autem, ut jam existunt, ope experientiae cum cernimus, mihi haud secus obveniunt ac praestantissima funditus licet eversa arx, ex cuius relictis tamen ruderibus fundaminis ejus effigies conspicitur. Hac, Architecti præstantiam & fine cum ipsa arce intento, si supponuntur aliunde cognita, uno intuitu conjunctim consideratis, de prima & præterita arcis præstantia facile potest judicari. Ex iisdem principiis de hominum concreata perfectione in §. præced. disputavimus. Ut vero arcis ruina ob omnium oculos jacet, ita etiam hominum corruptio & miseria ex experientia evidentissime appetit. Intellectum inde a nativitate adeo comperimus obscuratum ut omnes prope-

¶) o (¶)

propemodum veritates humanæ vitæ necessarias profundissime ignorent, communibus tantum & quasi connatis veritatum principiis exceptis. Atque miserimi certe sunt homines sibi relieti, si nimis nullâ tinctâ fuerint disciplinâ & arte; omnibus, quæ ignorantia nomine veniunt videntur obruti, qualia sunt: fatuitas, confusio, prava dispositio, error, inanimadvertentia, præcipititia, præjudicia, nimia phantasiæ evagatio & innumeri alii debilis & depravatae mentis foetus. Facillimum esset monstratu quomodo, per omnes vitæ humanæ ætates eundo, his premantur imbecillitatibus: infantia nimis profundâ laborat ignorantia, juventus præcipititia & virilis ætas senectusque effrenis obscurata est præjudiciis &c. Et quamvis in his dispellendis omnem operam adhibeant homines, eos tamen tenax prosequitur hæc numerosa ignorantia cohors. Proinde haud exigua pars scientiarum, in quibus ad aliquid perfectionis cacumen evehendis ætas hominum & ingenii vires nullo non tempore sunt consumtæ, solis fere probabilitatibus hucusque substitit. Lubenter concedimus & affirmamus scientias quantitatum tanta accepisse incrementa ut harum veritates jure meritoque certæ sint dicendæ. Scientiæ autem, quæ circa rerum qualitates versantur, & longe majoris, si æque certæ forent, essent momenti, fasciis adhuc & tenebris sunt involutæ, quarum fere omnes veritates probabilitatem tantum nomine sunt insigniendæ. Proinde frustatione

lorum ad instar congerendo nos eas addiscere sentimus, quæ in memoria haud secus ac cribro raro inhærent. Si ille, qui jam ad cognitionis gradum in præsenti scientiarum statu obtainendum ascenderit, retro respexerit viam, quam & ipse in scientiis descendis calcaverat, & quâ hæ ab eorum usque origine sunt exultæ, mirabitur certe cur citius eas non addidicerit, quia via hæc videtur facillima, & cur illæ tam lento gradu ad præsens fastigium sunt evectæ, cum naturalis tradendi modus tam tutus est manuductor ut in via non toties prolabi debuissent eruditæ, quoties tamen id evenisse omnis ævi testatur historia. Præterea dolendum certe est intellectum res nobis sæpius proponere perverse, & ita, ut interdum, quas primo intuitu solide videmur percipere, adcuratius intimiusque tamen pensitatæ nos prorsus fugiunt & nostræ nosmet pudet ignorantiae. Hæc omnia sunt signa obscurati nostri intellectus.

§. IV.

Quamvis voluntas humana a Summo Numine ita esset comparata ut intellectus dictamen haud impedita sequeretur, & quod hic bonum verum conciperet illa eligeret, contra tamen hunc actum jam peragi tristis condocet experientia. Hinc ovidius: *video meliora proboque, deteriora sequor.* Homines etiam, hac stante conditione, DEUM agnoscere

gnoscere possunt suum conditorem & ens perfe-
ctissimum optimumque; adeoque illum ut Sum-
mum bonum sibi repræsentant. Per naturam vo-
luntatis desiderium hominum nunquam aliquo sa-
tiatur bono, quamdiu aliud bonum eximioris gra-
duis superesse existimatur, sed in eo tantum ac-
quiescit, ultra quod nihil boni datur. Hoc autem
cum sit DEUS, ei soli acquiescere deberet volun-
tatis affectus. Sed in eo quærendo voluntas est
perversissima. Sana omnino ratio dictitat legem
naturalem a DEO hominibus esse præscriptam ut ei
obtemperando eum ut summum bonum quærerent.
Quid vero quotidie videtur frequentius quam quod
voluntas se ei e diametro opponat? Etenim in
statu naturali omnes homines, teste experientiâ,
divitiarum cumulis corradendis se dedunt, vel in
honorum lubricis gradibus summa scandere conan-
tur cacumina, aut etiam in voluptatibus alto so-
piuntur somno. Hoc licet legi naturæ prorsus sit
contrarium, in id tamen omnem impendunt ope-
ram & diligentiam. Tria sunt principalia homi-
num officia: erga DEUM, seipso & alios. Hem!
quomodo præstantur. Nullo non tempore ad a-
morem in se ipsos homines sunt propensissimi,
quia continuo felices se reddere velle videntur,
eo tamen modo & iis mediis felicitatem hanc qua-
runt, ut, si studio & operâ infelices se reddere co-
narentur, aliis quam his non possent uti. Bonum
apparens, quod sensus ferit & quod in se tamen
eis est perniciossimum, cupide ambient.

tias, honores, voluptates affectant; siisque non ut
mediis ad felicitatem obtinendam utuntur, sed ut
in quibus salute in ipsam ponunt. In hoc opere in-
finitos consumunt labores & quo plura eorum,
quæ affectant, consequuntur, eo ampliora appetunt.
Hinc nusquam sunt contenti ne dicam felices;
nam insatiables hic rerum variarum appetitus &
que ac ipsæ res eos jam faciunt infelices. Erga a-
fios non sunt probi nisi sub spe lucri, famæ aut
commoditatis. Remotis itaque his in eos maxime
sunt injuriosi. Etenim cum sua ipsorum perni-
ciei, re ipsa, impendant operam, quid nisi aliorum?
Impietas eorum in DEUM nullis terminatur fini-
bus. Ratio dicitat DEUM esse colendum non ex-
ternis solum operibus, sed etiam internis, ratque
id tam perfecte ut ne minima quidem impietate
agitatio in intimis oriatur animi latebris. Qui
enim novit DEUM esse omnisapientem & sanctissi-
mum, qui homines condidit perfectos, hoc is-
psum non negabit. Quotidiana tamen experientia
condocet hoc, propter dolorum nunquam usi venire
aut diligenter ab hominibus praestari, sed potius
innumeræ nobis ostendit huic opposita vitiorum ag-
mina, quæ ex cordibus hominum continuo ebulli-
unt & longe lateque regnant. Ejusmodi sunt li-
bidines, ambitio, avaritia, injustitia, invidia, o-
dium, discordia, ferocitas & impietas, quæ tam
altas egerunt radices, ut haud pauci ceu Hannibal
animum prius quam odium (vitia) deponant. At
quis exterorum vitiorum numerum inire & gra-
vitatem

vitatem depingere sat vividis potest coloribus: E-
heu! quot & qualia intra hominum volvuntur
præcordia, quæ illorum sunt semina, quamvis ob-
nominis & famæ læsionem aut alias poenas tam
naturales quam civiles, sive etiam æternas a divi-
na vindicta metuendas, in actum non semper e-
rumpant? Certe tam multa & tetra vitia ab ho-
minibus committi non possent, nisi voluntas eo-
rum funditus esset depravata. Lubenter quidem
concedimus illam vi naturæ suæ bonum, quatenus
tale judicatur, appetere malumque aversari; com-
muniter tamen evenire videmus, ut, quod sensus
titillat & illis ut svave repræsentatur, voluntas sta-
tim appetat eligatque, priusquam intellectus, juste-
pensitando, malum vel bonum id ipsum judicavit.
Sensus tam vehementes deinde excitant appetitus,
ut in affectus erumpant, quibus intellectus ob-
scuratur vel saltem impeditur, quominus juste
possit & ingenue judicare atque bonum verum
ab apparenti discernere. Hinc homines affecti-
bus constringuntur & una cum sua voluntate eo-
rum miseri sunt servi.

§. V.

REligious animalibus homines quoad corpus con-
veniunt. Hujus tamen textura & conjunctio-
cum anima rationali indigitare videtur illud bru-
torum corporibus longe perfectius a DEO esse for-
matum.

matum. Experientia vero jam comprobat præsentem hominum statum, tam quoad corpus quam mores, brutorum, certo respectu multo esse infisiores. A nativitate usque eos tanta prosequitur miseria & imbecillitas, quanta vix aliud quoddam animal. Vestibus habent opus, & in lucem tamen progrediuntur nudi & tam imbecilles, ut viæ scintillulam modo accensam extingvere possit haud vehemens aëris motus. Cæteris animalibus natura dedit, ut, quæ illis conducunt, statim adeant, nocifera vero evitent; homines autem ea plane ignorant. Multi prætereunt anni, improbus consumendus est labor, magna impendenda diligentia & intolerabilis perferenda molestia, priusquam iis quæ necessaria sunt & utilia, instituuntur; cum tamen reliqua animalia nullâ egeant sui generis institutione. Homines totum vitæ tempus, laborem & ingenii vires nullam aliam obcaussam conterunt, quam ad eadem commoda sibi paranda, quæ sine molestia habent bruta. Intensissimo sui ingenii acumine nec inveniunt neque utisciunt tam commodis mediis ad conamina sua exsequenda, quam quæ bruta ex instinctu naturæ statim adeunt. Hominum appetitus nullis terminatur finibus ad quem satiandum maxima subeunt vitæ pericula & multa millia generis sui ipsius interimunt; immo, omnia jura perversere conantur, unde eorum non potest non oriiri infelicitas; bruta autem non multa appetunt sed paucis sunt contenta, quo ipso suâ, si ita dicere convenit, fruuntur

tur felicitate. Atque cum hæc careant ratione, nec futurorum neque præteriorum malorum dolore moventur, sed tantum præsentium, quorum sensus, in ipsa quoque morte, tantus non esse potest. Homines autem, qui ratione, quâ præterita & futura mala sibi ut præsentia repræsentant, gaudent, in iis & præsertim in morte infelicissimi sunt. A divitiis, honoribus, voluptatibus, in quibus antea felicitatem posuerunt, se removeri sentiunt, atque ex tempore in æternitatem sibi incognitam migrari, ubi præteritæ voluptatis nihil, sed tantum id, quod merentur eorum opera, sibi obvenire certo sciunt. Horum autem nulla sunt bona sed omnia mala, quod in §. sequenti demonstrabitur. Itaque dum morientes illa in animum revocant, & DEUM ut justissimum judicem severissimumque vindicem sibi repræsentant, infelicissimos certe sentiunt. Quanto itaque hominum status brutorum sit inferior, hinc jam apparet.

§. VI.

EX occasione eorum, quæ in externo hominum statu nobis exhibentur, de præfenti illorum miseria & imperfectione disputavimus. Non immerito itaque quæritur: annon eam, maximâ adhibitâ operâ & diligentia, evitare possent, & tales se præstare quales DEUS illos requirit & in §. II. delineavimus. Ad hoc negando respon-

respondere cogimur. Lubenter licet concedamus homines ingenuâ educatione, diligenti institutione, & propriâ deinde adhibitâ industriâ in eam adduci consuetudinem & perfectionem ut, si mirum exculto ingenio, officia sua non modo probe calleant, sed etiam, voluntate affectuum jugo liberatâ, ea aliquatenus externe colere videantur. Neque negandum est horum perfectionem hoc modo acquisitam propius accedere & magis assimilari perfectioni concreatae, quam eorum, qui aut nullam operam in se perficiendo impenderunt aut se adhuc torpore & vitiis reddiderunt deteriores. Tantum tamen abest, eos concretam perfectionem aut ejus æquipollentem asseditos esse, ut nullius potius momenti ea coram DEO æstimetur. Præterquam enim, quod in historia profana nullus ejusmodi nobis sistatur, qui non alia atque alia imperfectione laboraverit, ex præsenti omnium conditione facile communis imperfectio & pravitas eruitur, quæ eos a fasciis usque & incunabulis prosequitur. In hac imperfectione, multa non possunt non commitere peccata, nescientes quamvis & inviti. Ponamus nonnullos homines ad illum perfectionis gradum aliquando pervenire, ut jussa legis perfecte exequi valeant, peccatorum tamen antea commissorum sunt noxii. Sed intra sphæram rationis vix ullum excogitari potest reconciliationis medium, quo Summum Numen etiam propter paucissima & minima peccata in eos iratum

tum queat placari. In statu itaque iræ, ut loqui amant Theologi, ejusmodi homines sunt constituti. Agnoscunt radicalem pravitatem, quæ illos peccata invite committere coegerit. Agnoscunt etiam supremi Numinis infinitam sanctitatem & justitiam, quæ vel minima peccata aut pati aut infinitis poenis impunita relinquere nequit. Hinc se delinquentes damnatos judicant, DEUM vero ut judicem justissimum vindicemque severissimum sibi representant, cuius infinitas iræ plagas cernunt sibi imminentes. Hinc itaque homines in statu naturali constituti justo amore DEUM nunquam possunt prosequi, sed e contrario eum maximo pavore horrent & odio habent, propter infinita mala ab eo expectanda. Adeoque licet suas actiones externe aliquatenus ad legis prescriptum cogere possint, ex impuro tamen profluunt peccatore, quæ itaque omnia in se & coram DEO nihil aliud sunt quam foeda peccata & terti hyposciseos foetus, qui idem ac omnia vitia a divina vindicta merentur. Quantum itaque homines in hoc statu pravitatem, adhibitâ in se perficiendo omni operâ & diligentia, possint evitare, hinc conspicitur.

§. VII.

Quid ex his, quæ leviter disputavimus, sequitur & prono quasi fluat alveo, facile apparebit,

parebit, si illa glomerata junctim consideramus. In §. I. ostendimus DEUM propter infinitam suam perfectionem, omnia, quæ produxit, non potuisse non perfecta producere, quod experientiam etiam comprobare vidimus. In §. II. homines secundum suam essentiam & finem consideratos, ab ente perfectissimo non potuisse non perfectos creari, evicimus. In §. IV. & V. eos quoad intellectum & voluntatem maxime esse depravatos, in VI. eorum statum brutorum multo esse inferiorem atque §. præced. eos, maximam licet adhiberent operam & diligentiam, suam imperfectiōnem non posse evitare demonstravimus. Hinc si ne periculo concludere audemus homines esse lapsos. Hoc si quis impugnaret, præcedentem depravati hominum status levem imaginem cum sua ve- lim comparet, depositâ perversâ philautiâ, & eam in se & alios quadrare animadvertiset. Si ita est, quod nemo dubitet, sequitur aut DEUM non potuisse aut noluisse homines condere hujus pravitatis immunes. Prius cogitare est impium & posterius non minus. Ponatur enim hoc. DEUS produxit homines tantis imperfectionibus obrutos, quantis jam sunt involuti. Illis præscripsit legem, cui neque valent nec volunt satisfacere. Interim tamen

divina

divina justitia ob minimum delictum æternas illis
 infliget poenas, h. e. æterne infelices evadent. Er-
 go DEUS ad æternam infelicitatem homines desti-
 navit. Quo vero quid magis impium esse potest?
 Ejusmodi itaque cogitationes a nobis longissime
 absint & potius nos lapsos esse ingenue profitea-
 mur. Gentiles etiam hoc ipsum agnoverunt.
 Cum enim a fasciis usque se radicali malo infe-
 ctos esse cernerent atque sic infra statum positos,
 cui se a Summo Numine destinatos sciverunt,
 verbis haud obscuris lapsus cognitionem prodide-
 runt. *Ita Euripides apud Stobaeum Sermone VIII:*
Ingenita est cunctis malitia. *Quintil. Declam. IX.*
Cum crimine meo natus sum. *Gellius in Noct. Atticis L. VI: c. 1.* *Chrysippum dixisse refert, quod na-*
tura non sit creata cum malis, sed esse bac *νατὴ* *πρᾶγμα*
per consequentiam. Atque cum malitia &
 pravitas omnibus universaliter hominibus adhæ-
 reat, totum genus humanum lapsum esse nulli
 dubitamus. Quicquid præterea datur miseria &
 imperfectionis, missis Manichæorum & aliorum
 de origine mali nugis, ab hominum culpa profe-
 ctum esse, immo non nisi per læsionem Summi
 Numinis eos concreata perfectione & felicitate
 privatos non possumus non nobismet persuadere.

Quâ vero in reconstiterit hæc læsio, & quæ fuerint circumstantiæ specialiores lapsum hunc nunquam satis deplorandum ingredientes, ratio prorsus ignorat. Infinitas persolvamus DEO ter Optimo Maximo grates, cui ex misericordia placuit eas nobis non modo distinctius revelare sed etiam medium perfectissimum in suo Filio dare, per quod possumus miseriam hanc sine fine durantem effugere & æternam salutem, ad quam nos benignissime primum destinavit, recuperare.

TANTUM.

